
The background of the image is a marbled paper with a complex, organic pattern. It features swirling veins of dark brown, light beige, and bright yellow, interspersed with darker green and teal streaks. The overall effect is reminiscent of liquid marble or a natural stone like travertine.

24



DISPUTATIO PHYSICA

DE

M U N D O,

Q V A M,

Favente Deo Opt. Max.

S U B P R A E S I D I O

Reverendi, Clarissimi, Doctissimique VIRI,

D. M. PETRI CABELJAU, Verbi Divini in
Ecclesia Lugd. Bat. Ministri fidelissimi, & Collegii
Theol. Per-Illustr. D.D. Ordinum Holland,
& West-Frisiae Regentis dignissimi.

Publieè ventilandam proponit,

ALBERTUS RODENBURGH, Vianensis.

Ad diem 8 Julij, loco solito, hora 8.



LUGDUNI BATAVORVM,

Apud Hæredes Ioannis Nicolai à Dorp.

ANNO CL CX C LXI.

* 17.035

Illustri, Magnifico, ac Potenti,
Inclytæ ac Florentissimæ

HORNANORVM

REIPUBLICÆ

MAGISTRATUI,

Dominis ac Mæcenatibus meis munificentissimis:

NEC NON

Amplissimis, Spectatissimisque Viris,

D. JOHANNI à WEVELICOVEN, J. U. D. Reipubl. Leydensis Syndico meritissimo, & Nobilissimis Amplissimisque D. D. Curatoribus à Secretis,

D. JOACHIMO à WEVELICOVEN, J. U. D. ejusdem Reipubl. Syndico dignissimo, consultissimoque,

Cognatis mihi dilectissimis, studiorum meorum Fautori-
bus summis, unice observandis ac suspiciendis.

UT ET

Præstantissimis, Doctissimisque Viris-Jovenibus,

D. JOHANNI van DUEREN,

D. ABRAHAMO OUDEWATER,

D. LUDOVICO BACHERO,



Isti Theologiæ, his Philosophiæ Studioſis indefeffis,
amicis meis integerrimis.

Me, eꝝ basce primitias Philosophicas,

Submissè Offero & inscribo

ALBERTUS ROODENBURGH, Rep.

DISPUTATIO PHYSICA

DE

M U N D O.

THEISIS I.

Mundi vocabulum tam græcè quam latinè ornatum sonat & pulchritudinem; nimis quia est Mundus omnium rerum *virtus* pulcherrimum quid & perfectissimum. Potest autem mundus describi, ordinatus compages omnium corporum naturalium ab uno principio pendentium, & in unum finem tendentium: ut hujus descriptionis & ipsius Mundi natura magis elucescat, primò ad ejus causas, deinde ad accidentia explicanda nos accingemus; auspicabimur vero à materiâ, utpote quæ in hoc negocio causarum est omnium evidentissima.

II.

Quod attinet mundi *materiam*, distinguimus inter Mundum constitutendum, cuius materia ante creationem nulla fuit, & mundum jam constitutum, cuius materia vel partes materiales sunt omnia corpora naturalia: tam simplicia, ut Cœlum, Astra, Elementa; quam mixta, eaque vel inconstantia, ut meteora; vel constantia, ut inanimata & animata: inanimata, ut mineralia, metalla, &c. animata, ut plantæ & animalia, adeoque ipse homo, mundi compedium, ac verè *μικρόνοσμος*.

III.

Quæ verò sit Mundi *forma*, varie inter Physicos disceptatur; quidam ex antiquis Philosophis statuere Mundum esse animatum, ac proinde ejus formam esse animam, sed quæ sit mundi anima non omnes eodem modo explicant, aliis Deum, aliis Spiritum, atque actum quendam vitali, per omnes mundi partes diffusum, Mundi animam esse statuentibus. Sed Deo quidem injuriam faciunt non ferendam, qui eum Mundi animam vel formam ponunt ens enim infinitum ac æternum, non potest esse forma entis finiti ac temporarii: & efficiens non est forma effectus, neque esse potest quia simul ingrederetur essentiam effecti, & non ingrederetur: quid?

quod Deo formæ causalitatem tribuere Divinæ Majestatis præfessioni derogat, quia talis causa in causando imperfectionem involvit. Si Deum Mundi formam non informantem sed assistentem dicant, quod eum suâ providentia regat inepte loquuntur, cum forma assistens formæ nomen non mereatur, & propter regimen anima rei gubernatæ dici nequeat, nisi quis nautam, navis. animam dixerit.

IV.

Alli Mundi formam esse animam dixerunt, non Deum ipsum, sed ab eo aliam animam per corpus mundi diffusam, & omnes ejus partes animantem, quæ non veterum tantum, sed etiam ex recentioribus Campanellæ, de sensu rerum & imaginâ, lib. 2. cap. 32. est sententia; sed vero si daretur aliqua anima quæ esset universalis mundi forma, ejus operationes aut distinctæ erunt, ab operationibus, quæ proficiuntur ab animatorum animabus, aliorumque corporum formis, aut non erunt distinctæ: si sint distinctæ ejus operationes, monstretur aliqua in homine actio, quæ proficiuntur ab hac universalis animâ, quam non propria homines anima edere possit item in brutis, plantis, metallis, quam non propriæ istorum corporum formæ exercere possint: si non sint distinctæ ejus operationes frustra ponitur, cum quælibet species ac pars mundi, operationes suas beneficio formæ sibi insitæ expedire possit: præterea si mundi forma sit diffusa & universalis quædam anima, omnes ejus partes essent animatæ, & in iis conspicuæ forent operationes vitales, nutritio, accretio, generatio, &c. at in Cœlo, Stellis, Elementis, Mechanicis &c. anima locum non habet; etiam operationes vitales certe nullas datur. denique si omnia in mundo dixeris animata nullum dabitur in natura corpus inanimatum, adeoque Mundus omnium entium creatorum gradus non continebit, quod ejus perfectioni repugnat.

V.

Receptissima est de mundi formâ opinio, quam in descriptione expressimus, eorum, . qui eam in ordine dispositione *εὐταξίᾳ* constitute arbitrantur; est enim forma per quam res est id quod est, & à cæteris rebus distinguitur, at per ordinem, dispositionem, & *εὐταξίαν*, Mundus est mundus (ab ornatu enim nomen est) & per eam distinguitur à mole confusa, quod Chaos vocant, estque inordinata.

dinata naturalium corporum confusio. Hæc forma non est substancialis (nullus enim ordo est substantia, sed relatio quædam ac *χρήσις* inter ordinata) sed accidentalis, toti mundo tamen essentialis, quod ordinata ista partium mundi dispositio, sed corporum naturalium *ἐνταξία* ita sit de mundi natura & essentia, ut absque eâ nec sit, nec dici possit Mundus. An eadem sit formarum in singulis naturalium partibus, & corporum naturalium speciebus (excepta forma hominis) ratio, consistens in essentiali quadam singulis corporibus, accidentium ad materiam ordinatione, sicut Mundi formam consistere diximus in corporum naturalium *ἐνταξίᾳ* hujus loci non est inquirere, ratio tamen dubitandi subest maxima.

V I.

De *efficiente* Mundi causâ, non minor quam de forma est inter Philosophos discrepancia; quidam enim (Democritus nempe Leucippus, & Epicurus) Mundum à fortuito atomorum concursu in immenso vacuo gigni putarunt. Empedocles à quatuor elementorum necessariâ, & cœca conspiratione ab actione ignes Heraclitus, quibus omnibus quid absurdius? Aristoteles mundum censuit ingenitum, & omni ex parte æternum. Hæc Aristotelis de mundi æternitate sententia tam serio confirmatur Lib. 8. Phys. 11 de Cœlo 2. de ortu & interitu 12. Metaph. ut mirum sit magnis viris potuisse in mentem venire Arist. his locis *περὶ τοῦ κόσμου* potius quam *ἀποδεῖν* de mundi æternitate disputasse. Proclus Aristot. sententiam confirmat 20. argum. quo à Philopono recensentur, ac refelluntur Philoponi sententiam sequimur omnes, quibus S. Scriptura nullo in pretio est, constanterque credimus in Principio temporis prædefinito Deum creasse Cœlum est terram & hoc totum universum. Quod cum afferimus, duo dicimus, & creatum esse mundum, & creationem factam esse in tempore non ab æterno, sed an mundus ab æterno creari potuit? ita quidem afferunt veteres & moderni Philosophi præsertim pontificii, & qui eos hic sequuntur Lutherani; recepti passim apud nos Philosophi Conimbr. Suares, Pererius, reliquie istius furfuris omnes; nos contra impossibile id esse contendimus, imo contradictorium implicare dicimus, quod sic ostendimus.

V II.

Quod necessario aliquando non fuit, non potest esse æternum,

sed incepit in tempore; aeternum enim est quod semper fuit: at Mundus aliquando necessario non fuit, eo ipso quia creatus fuit: nam creare est, illi, quod nondum est, esse tribuere: & creari est, rem, quæ nondum est, esse accipere: quia igitur, quod rem creat, eam cum nondum est, facit esse, & quod creatur, illud cum nondum esset, incipit esse, sequitur id, quod fit, aliquando non esse; quia tempus assignari potest, in quo nondum sit, scilicet cum fit, ergo quod creatur, semper & perpetuo nec est, nec esse potest, proinde nec ab aeterno, V. C. quod nunc fit, nondum est, quando fit, & antequam fiat, ergo nihil potest ab aeterno fieri, alioquin enim eo ipso, dum fieret, nondum esset, & tum quia ab aeterno fieret, semper esset, quæ est mera contradic̄tio: sed duobus aliis argumentis everti potest, hæc mundi ab aeterno possibilis creatio à Scholaisticis temere introducta.

VIII.

Si mundus ab aeterno posset creari aut existere ab aeterno transi-
visset à suo non esse, ad suum esse: ergo prius fuisset sub suo non esse,
quam sub suo esse; ergo aliquid extitisset prius aeterno: nempe, non
rei existentis ab aeterno: consequentio firma est quia esse mundi ex-
titisset ab aeterno, & non esse mundi, esset illo prius: Nec refert
quod non esse rei non sit aliquid positivum; quia sufficit ut suo modo
extiterit prius, in quo priori æque extitisset, si quid positivum esset.

IX.

Si possit mundus fieri ab aeterno, fiat, ac factus annihiletur: omne
enim quod à Deo fit, destrui potest, ergo poterit ab aeterno destrui
vel non; si possit, ergo simul ab aeterno erit, & non erit: si non pos-
sit ergo per totam aeternitatem erit independens à Deo; ideo enim
dependet à Deo, quia ab eo conservatur, & quicquid à Deo con-
servatur, potest à Deo annihilari per retractionem Dei concursus:
erga si dependeat mundus à Dei conservatione, potest ab eo retrahere
suum concursum, & ita eum annihilare; si vero non possit, ne
dependet quidem ab eo; & sic creatura non est, sed Deus, quare,
qui Mundum aut creaturas ab aeterno esse posse volunt, novos
Deos faciunt.

X.

Finalis mundi summus est Dei gloria, subordinatus, felicitas ho-
minis, cui totus inservit; est enim mundus à Deo conditus, ut homo
non

non tantum in eo tanquam amplissimo loco vivat, & ex eo cuncta
vitæ necessaria petat, sed ut ex hoc elegantissimo creaturarum thea-
tro ac lucidissimo speculo, infinitam Dei sapientiam, potentiam, ac
bonitatem agnoscat, & ad creatorem amandum, colendum, & glo-
rificandum excitetur.

X I.

Hæc de causis ; sequuntur *accidentia*, ubi quatuor hæc nobis con-
sideranda veniunt, perfectio sc. ejus quantitas, figura, duratio;
perfectum vero esse inmundum omnino asserimus ; ejus enim quod
per aggregationem unum est ; perfectio consistit in multitudine at-
que ordine ; & ordine tam partium ad se invicem, quam ad unum
totum : utrumque autem conspicuum est in mundo. Sed an non
perfectiorem eum, quam est actu, Deus facere, potuit mundum ?
Ad istam Quæst. Respondemus cum distinctione, quatuor fere
modis potuit hic mundus fieri perfectior. 1. Secundum quantita-
tem, nam Cœlum & elementa potuerunt fieri majora, quam sunt,
& potuit Deus facere multo plures Cœlos, & in iis plura, majora,
splendidiora sydera : 2. Secundum plenitudinem, & universita-
tem rerum : nam species rerum infinitæ longe plures quam sunt crea-
ri potuerunt. 3. Secundum durationem ; potuit enim mundus ita
fieri, ut, & antiquior esset quam nunc est, & futurus esset diutu-
nior. 4. Secundum perfectionem accidentalem rerum naturalium,
quæ perfectio magis magisque potest amplificari : potest enim
Deus, cum nulla inde sequatur contradic̄tio, singulis individuis.
novo attribuere accidentia, quibus magis ornentur.

X II.

Quantitas est vel continua vel discreta ; ratione quantit. con-
tinuæ hæc agitur quæstio, sit ne mundus finitus an infinitus ? nos
cum sanioribus Phil. finitum eum esse contendimus ; nullum siqui-
dem corpus infinitum moveretur tempore finito, ac proinde, ut finito
sit Cœlum, ac consequenter mundus, oportet. Ratione quan-
titatis discrete considerandum occurrit, utrum unus tantum sit
mundus, an vero plures ? plures simul reperiiri Mundos existima-
runt Démocritus, Leucippus, Manichæi & similes, nos Platonis,
Aristotelisque sententiam, ut veritati magis consentaneam sequi-
mur : unumque tantum esse mundum statuimus. Quoniam vero
secus se habet, de actu quam de potentia, & multa actu non sunt,
quæ

quæ tamen possunt esse; quæritur, utrum plures possint esse Mundū? Arist. 1. de Cœlo c. 8. 9. Probat non tantum unum esse mundū, sed etiam non posse plures esse: alii statuunt plures quidem esse posse sed finitos; nos cum iis statuimus plurium mundorum possibilitatem, & infinitorum impossibilitatem.

XIII.

Figura mundi per se vix certa est; quomodo enim figuram certam habebit totum illud universum, aggregatum ex tam diversis rebus naturalibus, quarum quælibet suam peculiarem obtinet figuram; sed si aliqua ei figura sit tribuenda, cum mundus sit præstantissimus opus Dei debetur ei etiam præstantissima figura, ea autem est sphærica, sive rotunda: eadem siquidem capacissima est; potestque omnium commodissime continere omnia corpora tam simplicia, quam mixta.

XIV.

Durationem ejus quod concernit; quod ad substantiam multitudinum mundorum corruptibilem esse, ac proinde aliquando interitum esse, statuerunt; communis vero, Theologorum, Scholasticorum, & Reformatorum sententia est, mundum quo ad partes ejus præcipuas, ut sunt Cœlum & elementa, non esse ridendum in nihilum, sed ignis ministerio repurgandum, & aliquâ ratione secundum qualitates, functionesque innovandum. Quando autem futura sit hæc renovatio, nos quidem latet sicut nec dies Judicii, qui circa idem tempus futurus est, à nobis sciri potest.

COROLLARIA.

1. *Anima non male definitur aetius Primus Corporis organici, potentia vivitam habentis.*
2. *Mens humana non est nuda cogitatio.*
3. *Mendacia officiosa non sunt licita.*
4. *Datur Naturalis Dei cognitio, tum objectiva tum subjectiva,*
5. *Dantur in homine tres anime.*

F I N I S.

